

r. Coesfeld  
Vachträge  
S 54

1295 Juni 22.

[2] 54  
Johannes von Korrich und seine Frau Ida verkaufen dem Th. von Neuerburg  
ihren Besitz in den genannten Dörfern.

Ego Johannes, filius quondam Johannis de Korrich armigeri, et ego Ida  
eius mater notum facimus universis presencia visuris, quod accedente con-  
sensu et voluntate omnium heredum et coheredum nostrorum vendidimus et  
vendidisse nos protestamur nobili viro domicello Th. de Novo Castro, domino  
de Brandenberch, omnem hereditatem nostram ad nos spectantem hereditarie  
in villis de Ingendorf, de Leuysh et Merkedeit, quam ab eodem homagii ac  
feodi nomine tenebamus, videlicet pro centum libris Treverensium denari-  
orum legalium, de qua summa nobis ante confectionem presencium exstitit  
integraliter satisfactum ab eodem; quo circa renunciamus actioni doli mali et  
omnibus, que contra premissam vendicionem dicere possemus in futurum.  
Huius enim vendicionis et renunciaconis nostre testes sunt a nobis requisiti  
et vocati dominus Soyerus de Bursheit, justiciarius nobilium comitatus de  
Lucelb(urg), dominus F. de Novo Castro, R. dominus de Oseldengen, Sy(mon)  
dominus de Keile dapifer, L. dominus de Gyrs milites; Willelmus de Aycspelt,  
pater prepositi, Ludeger et Warnerus dictus Nayldenter antiquus. In cuius  
rei testimonium presentes litteras sigillo predicti domini Soyeri justiciari  
nostris precibus fecimus communiri. Et nos Soyerus, dominus de Boirseit,  
iusticiarius predictus, ad preces predictorum Johannis et Ide sigillum nostrum  
presentibus litteris duximus appendendum in testimonium veritatis et pro-  
testamur, ipsum Johannem ad annos discretionis complete pervenisse, quod  
dictam vendicionem facere potuit cum debita firmitate. Ipse enim Johannes  
ipsi Th. guarandiam facere coram nobis promisit legitimam, debitam et  
consuetam. Datum anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> nonagesimo quinto, feria quarta  
ante nativitatem beati Johannis baptiste, mense Junio.

Orig. Siegelfreit. — Bettingen Nr. 9.